

R. 1. Ex hoc argumento, si quid valeret, sequi, quod spiritus Dei foret pars Dei, sicut spiritus hominis est pars homini, consequenter quod Deus foret compositus; quod non admittunt Sociniani.

R. 2. D. Maj. Spiritus Dei comparatur spiritui hominis quoad aliquid, C. Quoad omnia, N. In hoc autem ab Apostolo comparatur spiritus Dei spiritui hominis, quod, sicut nemo cognoscit internos motus hominis, nisi spiritus hominis, ita nemo cognoscit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Unde paritas quædam est quoad modum cognoscendi, non quoad modum subsistentiæ.

Ad 2. N. Min. sicut enim persona se ipsam dare potest, ita & ab alio dari. Unde Christus Joann. 6. dicit, se esse datum a Deo hominibus. Et Galat. 1. dicitur *semetipsum dedisse pro peccatis nostris*.

Ad 3. N. iterum Min. Non enim magis repugnat, Spiritum sanctum effundi in plures, quam dari pluribus. Et hoc quidem est divinæ virtutis miraculum, sed non magis stupendum, quam Christum, qui persona est; dari pluribus loco & tempore distantibus, quibus unitor tanquam potus & cibus.

Ad 4. R. per Spiritum S. in his locis intelligi dona Spiritus S. Neque enim negamus, per Spiritum S. in Scripturis ejus charismata interdum significari; sed dicimus, Socinianos inde male colligere nomine Spiritus S. semper ejus dona intelligi, probavimus enim, eum ut a donis distinctum pluribus exprimi.

Ad 5. R. Baptizari in Spiritu S. esse mundari, & lavari quoad animam virtute, seu baptismo Spiritus S. metaphora desumpta ab aqua, qua lavamur & mudamur quoad corpus: nec inde magis inferre possunt Sociniani, Spiritum S. non esse personam, quam ex eo, quod dicamur baptizari in Christo, nutriti Christo, seu Christum induere, liceat ipsis inferre Christum non esse personam.

§. II. *Objectiones ab autoritate contra consubstantialitatem Personarum. Et 1. contra consubstantialitatem Verbi, ex Scriptura.*

Objiciunt 1. Ariani & Sociniani. In Scripturis Filius dicitur minor Patre, ipsi inferior, & subjectus. Joann. 4. *Pater major me est.* 1. Cor. 15. *Cum autem subjecta fuerint illa omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subiecit sibi omnia;* quod non potest intelligi de Christo ut homine, siquidem ut homo in carne passibili jam fuerit & magis fuerit subjectus Patri, quam erit tunc, scilicet in fine mundi: ergo.

R. Hanc utramque autoritatem intelligendam esse de Christo ut homine. De 1. patet ex contextu: dicit enim Christus: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est:* ire autem ad Patrem non convenit Christo secundum divinam naturam, secundum quam semper est in Patre. De 2. etiam patet ex verbis antecedentibus, ubi Apostolus loquitur de resurrectione Christi, quæ ipsi qua homini tantum convenit. Licet autem in carne passibili ante glorificationem, & finem mundi jam esset subjectio Patri, & quidem manifestius tunc apparuerit ejus subjectio in patiendo, attamen in fine mundi post resurrectionem generalem magis apparebit ejus subjectio Patri duplici modo.

1. Quia tunc, debellatis omnibus hostibus, damnatis reprobis, glorificatis predestinatis, pacato ex omni parte regno, tantæ victoriæ & pacis gloriæ non sibi, sed Patri ut principali Autori referet. 2. Quia post corporum generalem resurrectionem, & omnium predestinatorum glorificationem, apparebit claritas in humanitate Christi, qua tunc omnes cognoscent eam esse instrumentum divinitatis, adeoque ipsi subditam, quantum ad eam operationem, qua divinitas ipsi subjecit omnia, juxta illud ad Philipp. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem qua possit sibi subicere omnia.*

Inst. 1. Res diversorum generum inepte inter se comparantur: sic inepte diceretur, homo est sapientior cane; atqui magis distat Deus Pater ab homine, quam homo a cane: ergo insolite foret hæc locutio, *Pater major me est,* si intelligatur de Christo ut homine & mera creatura.

R. D. Maj. si nulla sit inter eas res convenientia, saltem analoga, C. secus, N. Sic optime dicimus: homo est robustior leone, odorantior cane, iste sermo est dulcior melle, amarior absinthio: erat autem quædam convenientia analoga inter Christum ut hominem & Deum, quantum ad potestatem patrandi mirabilia, & alia: potuit ergo Christus recte de se ipso ut homine dicere, *Pater major me est;* sicut Joann. 1. Epist. c. 3. dixit: *Deus est major nostro corde:* nisi forte intelligas de Christo ut Deo ad sensum Patrum Græcorum, de quo in instantia sequenti.

Inst. 2. Concilium Sardicense in Ep. synodica, S. Athanasius orat. 2. contr. Arianos, S. Hilarius l. 9. de Trinit. Damasc.

l. 1. c. 6. & communiter Patres Græci intelligunt, Patrem esse majorem Filio, etiam qua Deus est: ergo.

R. Patres Græcos non intelligere de majoritate absoluta & proprie dicta, ratione alicujus proprietatis essentialis, quæ esset in Patre & non in Filio, sed de majoritate improprie dicta ratione originis; ita ut in tantum dicitur Pater major Filio, in quantum est illo prior origine. Unde Conc. Sardicense in Ep. laudata, *Nemo, inquit, negat Patrem Filio majorem esse, non ob aliam hypostasim (id est, substantiam secundum Græcos antiquos) nec ob aliam differentiam, sed quia nomen Patriis ipsum majus est nomine Filii.* Et Athanasius orat. cit. p. 180. *Pater, inquit, major est, non quidem magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habuit.* Hæc itaque locutiones Patrum, quos certum est totis viribus dimicasse contra Arianos, benigne sunt interpretandæ, non tamén frequentandæ, ut advertit Aug. 4. de Trinit. c. 20.

Inst. 3. Hilarius libr. de Synodis dicit, Filium etiam secundum divinitatem esse Patri ministrantem, subjectum, & obedientem: ergo.

R. S. Doctorem, qui fuit acerrimus Arianismi impugnator, nihil aliud velle his loquendi modis, quam quod voluntas Filii exacte semper responderit voluntati Patris, eamque adimpleverit; quod qui facit inter homines, dicitur minister, subjectus, & obediens.

Obj. 2. Filius dicitur in Scripturis factus & creatura. Eccli. 24. *Creator omnium, & qui creavit me requievit in tabernaculo meo;* ibidem: *ab initio & ante sæcula creata sum.* Joann. 1. divinus Præcursor dicit de Christo: *Qui post me venturus est, ante me factus est;* quod non potest intelligi de Christo ut homine, qui conceptus fuit sex mensibus post Joannem Baptistam, juxta verba Angeli ad Mariam: ergo.

R. 1. Ad 1. autoritatem: *To create* in his locis sumi generaliter pro productione rei secundum substantiam, quo sensu dicitur Latine procreare liberos, id est, gignere: & Ps. 101. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum;* idque patet ex contextu, cum ibidem dicitur: *Ego ex ore altissimi protivi, primogenita ante omnem creaturam.*

R. 2. Juxta Greg. Nazianz. & Aug. Serm. 58. da verbis Dom. in Joann. non esse ibi sermonem de sapientia increata, neque de creatura, sed de sapientia in genere, propter prædictis operibus ingenii, quam Salomon apud quem est frequens usus figurarum locutionum per Prosopopæjam inducit loquentem, quasi esset persona, puta virgo, aut Regina a Deo ante omnia sæcula creata. Nec obstat, si dicas, sapientiam in genere nihil esse, adeoque non posse dici creatam; id quidem verum est in sensu proprio & naturali, secus tamen in sensu figurato: sic v. gr. possum per Prosopopæjam inducere naturam humanam in genere sic loquentem: *Deus decoravit me intellectu, & præstantiorem me creavit brutis & lapidibus.*

R. 3. Juxta S. Thom. (4. contr. gent. cap. 8.) quod processio Verbi dicitur modo generatio, modo creatio, ut ipsi tribuimus quicquid in illis est perfectionis, & removeamus quod est imperfectionis: *Ex hoc, inquit S. Doct. quid sapientia & creatura et genita nuncupatur, modus divine generationis nobis insinuat. In generatione quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. Sed in generationibus, que sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est: in creatione vero creatans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creatantis. Dicitur ergo Filius simul creatus et genitus, ut ex creatione accipiat immutabilitatem Patris, ut ex generatione unitas natura in Patre et Filio. Et sic hujusmodi Scriptura intellectum Synodus exposuit, ut per Hilarium patet.*

Cum autem dicitur primogenita ante omnem creaturam, seu primogenitus omnis creature, non est sensus, quod sit creaturarum prima, sed quod sit genitus, antequam fieret ulla creatura: alibi enim dicitur Dei & Patris unigenitus, quomodo autem unigenitus, si esset ex creaturis una?

Ad 2. autoritatem R. sensum esse: qui post me venturus est, ad prædicandum est mihi prælatum, seu præcedit me in dignitate, patet ex causali immediate sequenti, *Quia prior me erat,* scilicet æterna generatione, alias frustra adderetur ista causalitas: *Quis enim, inquit Chrysostomus in hunc locum, adeo stolidus, adeo insanus est, ut, qui ante eum factus est, illum eodem tempore priorem non intelligat?*

Obj. 3. Filio tribuitur ignorantia & impotentia. Ignorantia Marc. 13. *de die illa (judicii) nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater.* Impotentia Matth. 20. dicit Christus: *Sedere ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Et Joann. 5. *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem:* ergo.

R. ad 1. testimonium, illud esse intelligendum de Christo ut homine, qui ut talis dicitur ignorasse diem judicii, non quia absolute ignoravit, dicit enim Petrus apud Joann. c. 21. *Domine, tu omnia nosti:* sed quia ignoravit nobis, id est, nescivit ut

ut illum nobis revelaret; qui enim tacet aliquid quod scit, videtur apud alios illud nescire, & tamén hoc scius Pater scit, quia illum revelavit Christo ut homini; Angeli autem non solum nesciunt ut revelent, sed nesciunt absolute. Unde non est omnimoda paritas cum Christo, quæ nec requiritur, ut salvetur sensus Scripturæ. Hæc est plurimum solutio.

Altero solutio est, intelligendo etiam hæc verba de Christo ut homine, non hoc sensu, quod nesciat simpliciter, sed quod nesciat ex conditione humanæ nature. Est Greg. Magn. Ep. 42. ubi dicit: *In natura quidem humanitatis novit diem, & horam, non ex natura humanitatis novit. Idem sciendum, quam ex natura humana non habuit, in qua cum Angelis creata fuit, hæc se cum Angelis habere denegavit.* Si dicas: juxta verba laudata solus Pater scit: ergo Filius ex omni parte nescit. R. hæc dicta esse non per exclusionem divinarum personarum, habet enim Filius omnia, quæ habet Pater. Joann. 16. Proinde hanc notitiam, & Spiritus sancti scrutatur profunda Dei 1. Cor. 2. Sed per exclusionem creaturarum, quæ nulla ex nature suæ conditione hunc diem scire potest.

Ad 2. testimonium distinguo dupliciter, 1. Non est meum dare vobis, ut homo, C. ut Deus, N. 2. Non est meum dare vobis, id est, non est meæ æquitatis dare vobis jure propinquitatis, ut petitis, quod meritis comparari debet, C. Non est meæ autoritatis dare vobis absolute regum, N.

Ad 3. Testimonium potest similiter intelligi de Christo, ut homine; sed estō intelligatur de Christo ut Deo, sensu non est, quod non sit omnipotens ut Pater, nec quod non agat propria, & divina virtute, sed quod eam habeat a patre per æternam generationem, & sic non operatur a se ut persona ingenta, sed ut nata, & orta a Patre, & consequenter proit viderit Patrem facientem.

Obj. 4. Soli Patri per exclusionem Filii, & Spiritus S. ascribitur divinitas: ergo. Prob. Ant. Solus, & unus Pater in Scriptura dicitur Deus. 1. Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum;* ubi aperte supponit Christum non esse Deum: si enim quis alloquens Benedict. XIV. diceret: *Hæc est veritas, si fideles cognoscant te solum Papam, & quem misisti Joannem Legatum tuum;* intelligeremus statim eum omnes excludere a Papatu, & Legatum missum non esse Papam. 2. 1. Cor. 8. *De escis autem, que idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in celo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia... & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* 3. Idem Apost. Ephes. 4. eos ad concordiam exhortans dicit: *Unus Spiritus... unus Dominus... unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, et in omnibus nobis:* ergo.

R. 1. Socinianos, qui hæc objiciunt, secum & cum Scriptura pugnant: cum Scriptura, quæ alibi asserit Christum esse verum Deum, ut patet ex probationibus. Secum, quia ipsi confitentur Christum esse Deum, & quidem verum Deum, etsi a Patre natura diversum. Sic Socinius in responsione ad 4. priora capita V. Vieki, aperte falsissimum est, inquit, nos palam affirmare Christum non esse verum Deum, imò contrarium publice profiteremur, et in nostris, tam Latina quam polonica lingua, non paucis editis scriptis Christum verum esse Deum, asserimus. Et Smalcius in responsione ad 2. partem refutationis Smigleii c. 3. Christus, inquit, *Deus noster, et Deus verus summo jure appellandus est, et reipsa est:* ergo secum pugnant, dum volunt solum Patrem esse verum Deum.

R. 2. D. Ant. Solus, & unus Pater dicitur Deus per exclusionem falsorum numinum, C. Ant. Per exclusionem divinarum personarum, N. Ant. Neque enim hæc vox solus, aut similes in Scripturis semper important omnimodam exclusionem, nec semper submovens quemlibet distinctum ab eo, de quo efferuntur, sed sæpe vel illos, qui ab eo sunt planè alieni, & diversi, vel certos, de quibus agitur, aut qui ex subjecta materia intelliguntur. Sic Lucas cap. 9. post descriptam transfigurationem dicit: *Dum fieret vox, inventus est Jesus solus:* dicit, solus, ut excludat dumtaxat Moysen, & Eliam, qui prius adederant, non tres Apostolos, qui cum Christo remanserant. Ibid. cap. 10. Martha de sorore conquerens dicit: *Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solum ministrare?* Dicit solam, non ut excludat servos, & ancillas, sed sororem. Et quod proprius ad propositum nostrum accedit Deut. 32. Moyses dicit: *Dominus solus dux ejus (Israëlis) fuit.* His sanè verbis non intendit Moyses neque se, neque Angelum, qui huc Genti præerat, excludere, sed tantum Deos alienos: undè subdit: *Et non erat eo Deus alienus.* Dicitur itaque locis citatis solus, & unus Pater verus Deus, non per exclusionem Filii, & Spiritus S. sed per exclusionem falsorum Deorum.

Sic ergo dum S. Joannes dicit, solum Patrem esse verum Deum, non intendit excludere alias personas divinas, sed tantum Theol. Billuart. Pars Prima.

tum deos extraneos Gentium, siquidem ipsemet Evangelista Ep. 1. cap. 5. de Christo dicit: *Hic est verus Deus, et vita æterna:* Nec addit: *Et quem misisti Jesum Christum,* quasi non esset Deus cum Patre; sed ut significet Christum non solum esse Deum, sed esse aliquid aliud, nempe hominem, adeoque ad vitam æternam non sufficere, si credatur Deus unus & trinus, sed etiam requiri, ut credatur incarnatus. Ad exemplum oppositum, disparitas est, quod, cum sciamus officium summi Pontificatus soli Benedicto XIV. convenire, per *To solum* statim intelligimus omnes alios a Papatu excludi. E contra cum ex aliis Scripturæ locis sciamus naturam divinam Patri, Filio, & Spiritui S. esse propriam, per *To solum* in propositione Scripturæ non intelligimus excludi Filium, & Spiritum S. a ratione Deitatis, sed aliam quamcumque naturam diversam.

Quidam post Aug. l. 6. de Trinit. cap. 9. sic Evangelistæ propositionem exponunt: *Ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum;* neque enim insolitum est in Scripturis, ut una res de duobus simul prædicetur, & tamén inter utrumque interponatur. Sic 1. Joann. 3. *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Id est: *Omnis, qui non est justus, & qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo.*

Similiter in 2. testimonio Apostolus dicit Patrem unum Deum, non ut excludat Filium, & Spiritum S. sed Deos Gentium; sicut enim, dum dicit Filium unum Dominum, non excludit Patrem a consortio dominationis, ita cum dicit Patrem unum Deum, non excludit Filium a consortio Divinitatis. Ideo autem Apostolus eo loci noluit disertè appellare Christum Deum, ne multiplex appellatio Dei Corinthiis recenter a Gentili superstitione conversis ingereret aliquam suspicionem pluralitatis deorum, credentemque se non antiquam superstitionem deseruisse, sed mutasse.

Sed, generaliter loquendo, Pater vocatur Deus potius, quam Filius, aut Spiritus S. per appropriationem. Appropriatio est, quando ea, quæ sunt tribus personis communia, certis tamén de causis uni specialiter tribuuntur: sic omnipotentia tribuitur Patri, quia est fons, & origo totius divinitatis; sapientia Filio, quia est Verbum procedens per intellectum; bonitas Spiritui S. quia procedit per amorem; & tamén, & omnipotentia, & sapientia, & bonitas tribus personis sunt communes. Sic igitur Pater interdum præ cæteris personis dicitur Deus per appropriationem, vel ratione jam dicta, quia est fons totius divinitatis, vel quia in economia nostræ salutis gessit personam Dei, cui juxta satisfactio rependeretur; Filius Dominus, quia Ecclesiam suo sanguine emittit, & salutem perituris promeruit; tertia persona Spiritus S. quia est animarum sanctificator, & gratiarum largitor; & tamén tres persone sunt, & Deus, & Dominus, & Sanctus. Hujusmodi autem appropriatio frequens est in Scripturis. Et inde explicatur tertium testimonium. Nisi dicas, his tribus vocibus, *Spiritus Domini, & Dei,* totam Trinitatem designari; tota enim Trinitas est Spiritus, Dominus, Deus, & Pater omnium. Confer Diss. 6. art. 1.

Si dicas in 1. parte secundi testimonii, quando Apostolus dicit: *Scimus... quod nullus est Deus nisi unus,* nomen Dei sumit adæquate pro omni, quod est Deus: ergo, cum postea subdit: *Nobis tamen unus est Deus Pater,* pariter hanc vocem sumit adæquate pro omni, quod est Deus.

R. N. Conseq. Quod enim in 1. parte dixerat generaliter, & adæquate esse unum Deum, in 2. parte per partes veluti distribuit, & probat; nempe 1. quia unus est Deus Pater, ex quo omnia. 2. Quia unus Dominus, per quem omnia. Undè vocem Dei, in 1. parte adæquate sumptam, in 2. restringit ad Patrem, & eam personaliter, ac appropriativè usurpat.

Obj. 5. Juxta Apost. Act. 20. beatiss est dare, quam accipere: ergo Pater est Filius beator, & perfectior, cum ipse det, & Filius recipiat. Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas.* Joann. 5. *Dedit & Filius vitam habere in semetipso.* Joann. 10. *Quod dedi mihi Pater, majus est omnibus.* R. Istud axioma verificari dumtaxat, quando id, quod datur, non est tantum nec omnino idem, ac ipse dans, ut fit in omnibus causis creatis respectu suorum effectuum: quando autem id, quod accipitur, est unum, & idem omnino cum ipso dante, ut fit in divinis, tunc non est minus beatus accipere, quam dare; siquidem in hoc casu dans, & accipiens non distinguantur in esse seu substantia, in qua fundatur beatitudo, sed tantum in oppositione relativa dantis, & accipientis, producentis, & producti.

Neque dicas, receptionem importare imperfectionem, scilicet carentiam, & indigentiam ejus, quod recipitur: id enim verum est, quando receptio non est æterna simul, & necessaria, qualis est receptio Filii, & Spiritus S. semper enim naturam divinam receperunt, & nunquam fieri potuit, quod eam non reciperent. Unde non possumus cum fundamento in re concipere aliquid instans etiam virtualiter prius, in quo caruerit divina natura: sicut e contra (ut præoccupetur instantia) si mun-

dus fuisse creatus ab aeterno, conciperem instans virtualiter prius, in quo supponeretur carere existentia, quia illam non haberet necessario.

Inst. Apoc. 3. Sancti dicunt: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam: ergo divinitatem non habet natura, & necessario. R. Per divinitatem intelligi laudes, & encomia divinitatis, sicut versu precedenti dicunt: Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: id est, virtutis, & potentiae confessionem, & commendationem.

Obj. 6. Christus passim in Scripturis distinguitur a Deo: ergo. Prob. Ant. 1. Act. 13. & alibi dicitur Filius Dei; Filius autem distinguitur ab eo, cujus est Filius. 2. Christus vocatur Pontifex ad Hebr. 3. Pontifex autem a Deo distinguitur. 3. Christus est mediator Dei, & hominum 1. Tim. 2; atqui mediator Dei, & hominum debet ab eo distingui: ergo. R. D. Ant. Christus ut homo distinguitur a Deo, C. ut Deus, subdividitur. Distinguitur a Deo personaliter sumpto, C. essentialiter, & absolute sumpto, N. Unde ad 1. auctoritatem, Filius Dei Patris non est Pater, est tamen Deus. Ad 2. Christus est Pontifex ut homo, non ut Deus: similiter ad 3. Christus ut homo est mediator Dei, & hominum. Verum quidem est, quod Christus ut mediator esset, debuerit esse Deus, ut satisfactioni suae conferret infinitam dignitatem, sed tamen partes mediatoris egit ut homo, juxta Apostolum laudatum: Mediator homo Christus Jesus. Si dicas, officium mediatoris pertinere etiam ad personam Christi: respondebo, tunc Christum fuisse mediatorem inter homines, & Deum personaliter sumptum, scilicet Patrem, & Spiritum S. & non inter homines, & Deum essentialiter, & absolute sumptum. De quo in Tract. de Incarnatione.

Dices: Si, dum in Scripturis dicitur de Christo, quod sit Deus, id velimus intelligi cum omni proprietate; cur pari jure non intelligam cum omni proprietate, cum dicitur, quod sit creatura, factus, minor Patre, & similia? R. Nos etiam cum omni proprietate intelligere de Christo qua homine, quod sit creatura, factus, minor Patre, & similia? R. Nos etiam cum omni proprietate intelligere de Christo qua homine, quod sit creatura, factus, minor Patre, & similia. At Ariani, qui nolunt eum esse simul Deum, non possunt intelligere Scripturam cum omni proprietate, quando dicit: Hic est verus Deus, &c.

Objectiones ex Patribus Antenicenis contra consubstantialitatem Verbi.

Objiciunt Sociniani cum antiquis Ariani trium priorum saeculorum Patres, ante ortum Arianismi, Justinum, Athenagoram, Irenaeum, Clementem Alexandr. Origenem, Tertullianum, Gregorium Neocaesariensem, Dionysium Alexandr. & alios, quos contendunt impugnatione Verbi consubstantialitatem, & coaeternitatem cum Patre: ergo.

R. 1. Hos omnes laudatos, excepto forte Origene, de cuius mente circa praesens mysterium disputant Eruditi, rectam fidem tenuisse de substantia hujus Mysteriorum, ut jam patet ex dictis, & patebit ex modo dicendis. Non diftemur tamen, quosdam minus proprie, & minus caute de eo scripsisse, tum quia nondum nata haeresi securius loquebantur, tum quia cum essent tunc addicti Philosophiae Platonicae, de Fidei nostrae mysteriis juxta hujus Philosophiae principia loquebantur; atque adeo eodem fere modo scribebant de hoc Mystero, quo hujus sectae Philosophi scripserant de Patre universorum, & de mente ipsius, quae & Logos ab ipsis dicebatur.

Quapropter de his antiquis Patribus sic loquitur Hieronymus in Apolog. 2. contra Rufinum: Non statim illos haereticos judicabo: fieri enim poterat, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a libris imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe antiquam in Alexandria quasi demonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quidam, & minus caute locuti sunt, & quae non possint peruersorum hominum calumniam declinare. Hac etiam facit illud Aug. 16. de civit. c. 2. Multa quippe, ad fidem Catholicam pertinentia, dum hereticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius predicantur.

R. 2. Dato, unum, vel alterum aliter sensisse, non inde abrumpti filium Traditionis, quae non paucorum, sed communi Patrum, & fidelium sensu innititur. His duabus Responzionibus generalibus praemissis, ad singulos descendo.

Quantum ad Athenagoram, Irenaeum, Clementem Alexandr. & Gregorium Neocesar. jam expendimus, quae ex illis opponi possunt; positiva etiam, & dilucida testimonia S. Justinus, & Tertulliani protulimus, quae huc revocanda sunt; sed quia etiam plura ex his duobus, & Dionysio Alexandr. opponunt Sociniani, eorum mens accuratius est expendenda.

Objiciunt Sociniani S. Justinus in Dial. cum Triphone ex professo probat Patrem esse invisibilem, Filium vero visibilem. Idem docet Irenaeus l. 4. cap. 37. Tertull. contr. Praxeam cap. 16. Episcopi Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum in sua Epistola, & alii: ergo S. Justinus cum aliis non censet, Filium esse consubstantialem Patri.

R. Equidem antiquos censuisse, Patrem esse invisibilem, & Filium visibilem, nec tamen negabant Filii consubstantialitatem, sed ut verum Deum affirmabant, ut probavimus: imò etiam post Nicenum Concilium idem dixerunt S. Hilarius l. 4. de Trinit. sub finem, Theodoretus adversus haereses cap. 1. & alii, quos nemo suspicabit negasse consubstantialitatem Verbi; & cum aliunde certum sit, neque hos, neque illos admisisse plures deos, evidens est eos non censuisse Patrem esse invisibilem, & Filium visibilem ratione diversae naturae, quasi Patre natura sua sit invisibilis, & Filius natura sua visibilis. Dixerunt ergo Patrem invisibilem, quia, cum sit ingenitus, fons, & origo totius divinitatis, non habet a quo mittatur ad extra; Filius vero, cum sit genitus a Patre, ejus splendor, per quem manifestatur, & Verbum, per quod omnia facta sunt, mittitur ad extra, & praecipue ad reparationem generis humani; siquae factus est visibilis sive in corpore assumptio, dum apparuit Patriarchis veteris Testamenti, sit in natura humana, dum incarnatus est.

Inst. 1. S. Justinus, & alii Patres Anteniceni dicunt, ideò Patrem esse invisibilem, quia est immensus, incircumscriptus, nec loco moveri potest: ergo, cum dicunt e contra Filium esse visibilem, censent ipsum non esse immensum, nec incircumscriptum loco. R. D. Ant. S. Justinus, & alii Patres dicunt, Patrem esse invisibilem, quia est immensus, incircumscriptus, &c. ex peculiari primae Personae proprietate, ratione cujus mitti non potest ad aliquam formam exteriorem assumendam, C. ex peculiari naturae suae conditione, quae Filio non competat, N.

Instabis 2. S. Justinus ibidem dicit, eum, qui apparuit Antiquis, non esse Conditorum Universitatis; ergo nec Deum. R. N. Conseq. Non enim intendit S. Justinus negare Filium esse cum Patre conditorum universitatis, siquidem Ep. ad Diognetum ipsum expressè vocet Creatorem omnium; sed intendit duntaxat, quod, qui apparuit, non sit prima Persona, cui per appropriationem tribuitur omnipotentia, & creatio, ut latius explicabo infra.

Inst. 3. S. Justinus ibidem, similiter S. Irenaeus, Tertullianus, & alii, dicunt Filium in his apparitionibus fuisse Patris Ministrum, Patrem ipsi praecipisse, & esse causam Filii; atque haec important inferioritatem: ergo. R. & Ministrum, & praecipuum, & causam ab eis sumi lato, & improprio sensu: Ministrum, quatenus voluntatem Patris excoquit est; praecipuum, ac voluntatem ipsi communicavit; causam, quatenus est principium, & origo illius; non stricto, & proprio sensu, quatenus ministrare importat inferioritatem, praecipere superioritatem, causa dependentiam effectus ab ipso.

Instabis 4. S. Justinus ibidem dicit, Filium esse quiddam aliud a Patre; & in Apolog. 2. vocat Filium secundum potentiam, & Patrem primum Deum. R. Haec dicta esse ratione personae, & non naturae: ita ut sensus sit, quod Filius sit alia persona a patre, secunda persona, & Pater prima.

Inst. 5. Justinus laudato dial. dicit, Filium genitum esse a Patre virtute, & consilio: ergo non natura, nec necessario. R. N. Conseq. Virtus enim ibi sumitur pro facultate quaelibet agendi, & consilium prout opponitur caecae necessitati, quia Deus non agit sine ratione.

Inst. 6. S. Justinus ibid. docet, Filium esse a Patre genitum, sicut ignis accenditur ab igne; atqui distincta est natura ignis accedentis, & accensi, & unum potest extingui, alio non extincto: ergo. R. D. Maj. Ly. Sicut dicente aliquo paritate, C. omnimodam paritatem, N. In hoc ergo est paritas, quod, sicut ignis accendit ignem sine sui diminutione, ita Pater generat Filium absque sui diminutione, & alteratione: in ceteris autem non est paritas. Hoc ergo exemplo, & pluribus aliis, ut radii e sole manant, verbi humani ab intellectu producti, &c. uti sunt SS. Patres, & nos utimur, ad efformandum aliqualem ideam generationis aeternae Verbi: verum haec exempla plus habent dissimilitudinis, quam similitudinis; unde non sunt intelligenda, nisi resecatis omnibus imperfectionibus, quas involvunt in creaturis.

De Tertulliano.

Objiciunt Sociniani Tertullianus docet, Verbum, seu Filium ab aeterno non fuisse: ergo. Prob. Ant. ex libr. contr. Hermog. cap. 3. cum enim iste Haereticus contenderet materiam esse

esse ingenitam & aeternam, quia Deus ex eo quod sit ab aeterno Deus, fuit etiam ab aeterno Dominus: non potuit autem esse Dominus, nisi esset res aliqua, cujus esset Dominus. Respondet Tertullianus, quod, quamvis Deus sit ab aeterno Deus, quia divinitas est ejus substantia, non sit tamen ab aeterno Dominus, quia hoc nomen spectat exercitium potentiae: idque probat a simili, quia nempe Deus non est ab aeterno Pater aut Judex: Et Pater Deus, inquit, et Judex Deus est: Non tamen ideò Pater et Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum: Fuit autem tempus cum et delictum et Filius non fuit, quod Judicem, et qui Patrem Dominum faceret: ergo. Respondent alii, Tertullianum per Filium intelligere creaturam quo sensu dicit Moyses: Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te? Ita Natalis Alexander. Respondent alii, Tertullianum non loqui hic ex propria sententia, sed ex principiis admissis ab Hermog. quae adversus ipsum retorquet; ita ut sit hoc argumentum Tertulliani: secundum Hermog. ideò Deus est ab aeterno Dominus, praecise quia ab aeterno est Deus, & ideò debet esse ab aeterno aliquid extra ipsum, ipsa scilicet materia, in quod dominationem exerceat: ergo pariter est ab aeterno Pater, quia ab aeterno est Deus; Deus enim non minus est Pater, quam Dominus. Substituatur; atqui non est Pater ab aeterno, cum nihil ab aeterno extra se producat; materia enim secundum Hermog. est improducta: ergo, sicut Deus non est ab aeterno Pater, ita nec Dominus, & consequenter materia non est aeterna: quod unice intendit Tertullianus contra Hermog. quocum nullam habebat controversiam de aeterna Dei generatione. Ita Honor. Tournely. Haec responsio partim coincidit cum prima, in quantum per Filium intelligit aliquid productum ad extra, sicut prima. Respondent alii, Tertullianum sumere Filium more Jurisconsultorum, non pro eo quod est ad intra genitus, sed ad extra natus, ut modo explicabimus. Ita Carolus Witasse.

Inst. 1. Tertullianus docet, Verbum seu Filium esse conditum, & natum in ipsa mundi creatione, seu paulo ante: ergo. Prob. Ant. 1. ex libr. contr. Hermog. qui, ut dixi, contendebat materiam esse ingenitam & aeternam. Ubi cap. 8. de Sophia dicit: Denique (Deus) ut necessariam sensu ad opera mundi, statim eam condidit, & generat in semetipso: Dominus, inquit, condidit me initium viarum suarum in opera sua... prior... abyssus genita sum. Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam, & conditam praedicari, nequid innotum & inconditum praeter solum Deum crederemus. Si enim intra a Dominum, quod ex ipso et in ipso fuit, sine initio non fuit, Sophia scilicet ipsius, exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cepit agitari, multo magis non cepit sine initio quidquam fecisse, quod extra Dominum fuerit. Si vero Sophia eadem Dei sermo est... sine quo factum est nihil... Quale est ut Filio Dei sermone unigenito, et primogenito aliquid fuerit praeter Patrem antiquius?... Ita et hoc nomine materiam Deo praeposuit Hermogenes, praeposendo eam Filio: Filius enim sermo est Deus sermo, et, Ego & Pater unum sumus, nisi quod sustinebit aequo animo Filius eam praeposui sibi, quae Patri adequatur.

Prob. 2. Idem Ant. ex libr. contr. Praxeam cap. 6. Itaque Sophiam quoque exaudi ut secundam personam conditam. 1. Dominus creavit me initium viarum in opera sua. Priusquam terra fieret... ante omnes colles generavit me, in sensu scilicet suo condens et generans. Dehinc assistentem eam ipsa separatione cognosce: cum pararet, inquit, coelum, aderam illi simul... Nam ut primum Deus voluit ea, quae cum Sophia ratione... disposuerat intra se, in sublimitate, et specie suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas rationem et Sophiam, ut per ipsum fierent universa. Et cap. 7. Tum igitur etiam ipse sermo speciem, et ornatum suum sumit, sonum, et vocem, cum dicit Deus: Fiat lux. Haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae. Dominus condidit me initium viarum: dehinc generatus ad effectum; cum pararet coelum, aderam illi simul: Exinde cum pararet sibi faciem, de quo procedendo Filius factus est... Ergo, inquit, das aliquam substantiam esse sermonem?... plura... quaequamque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen Filii vindico, et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo: ergo.

R. Haec omnia dicta esse a Tertulliano de verbo externo, non interno, seu de verbo respectivo ad generationem ejus externam & visibilem, non internam & invisibilem. Revocandum namque est, quod jam dixi supra de Athenagora, non solum Tertullianum, sed plures alios Vereres etiam post Conc. Nicenum distinxisse in Verbo duplicem sive processionem, sive generationem, sive nativitatem; unam ad intra in Deo immanentem, qua Verbum procedit a Patre, ut imago invisibilis substantiae ejus, Deus de Deo, lumen de lumine, & haec est gene-

ratio aeterna, propria, & naturalis. Altera externa, qua Verbum externus est prolatum in productione creaturarum: fiat lux, ut significativum imperii, per quod omnia facta sunt: & haec est, juxta Antiquos, generatio seu nativitas temporalis, sed improprie dicta ex analogia ad nativitatem hominum, qui non dicuntur nati, nisi cum e vulva in lucem procedunt, & ad extra manifestantur. Hanc utramque generationem seu nativitatem ipsis verbis objectis ex cap. 7. adversus Praxeam exprimit Tertullianus; Haec est, inquit, nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit conditus ab eo primum ad cogitatum: En generatio interna & aeterna: dehinc generatus ad effectum: En generatio temporalis & externa. Similiter cap. 6.

Inst. 2. Tertullianus loquens de generatione Verbi, tum facta, cum mundus est conditus, dicit 1. Eam (Sophiam condit, & generat in semetipso, cap. 18. adversus Hermog. ergo, non de generatione ad extra, sed ad intra loquitur Tertullianus, sed ad extra, ut supra dicit, ea generatione, cum tunc mundus factus est, Filium esse factum patre Patri: ergo antea non erat par. 3. ibidem hanc generationem vocat perfectam Verbi nativitatem, & dicit illum per eam speciem, & ornatum sumpsisse: ergo antea non erat perfecta. 4. Ibidem dicit, tunc conditam fuisse secundam Personam & Filium: ergo antea non erat neque Persona, neque Filius. 5. Ibidem cap. 9. vocat Filium portionem Dei: & cap. 6. dicit a Deo separatam. 6. Tandem loco cit. contr. Hermog. probat materiam, si aeterna esset, fore praerferendam Filio, ut quid antiquius & fortius: ergo supponit, Filium non esse aeternum.

R. Ad 1. Tertullianum sic loqui, quia per eam generationem temporalem Verbum, licet ad extra prodierit, non tamen recessit a Patre; ita ipsemet Tertullianus Apologet. cap. 2. A matrice, inquit, non recessit, sed excessit. Ad 2. dicit, Filium esse factum patre Patri, id est, demonstratum patrem. Ad 3. eatenus dicit, hanc nativitatem esse perfectam, & per eam Verbum sumpsisse speciem & ornatum, quatenus per illam declaratum est externus Dei Verbum, quod ante latebat & ignorabatur. Ad 4. similiter dicit, tunc conditam fuisse Personam & Filium, id est, demonstratam externis & declaratam; seu, ut alii volunt, Tertullianus hic sumit Personam & Filium, non more Theologorum, sed Jurisconsultorum, quorum erat tenacissimus, Jurisconsulti autem fecerunt, quamdiu litet in utero, portionem matris vocant, filium vero, tunc solum cum ex utero prodit in lucem. Similiter, licet Persona juxta Theologos sit quodlibet individuum naturae rationalis per se subsistens, apud Jurisconsultos tamen Filius, quamdiu est in utero matris, non censetur Persona. Ad 5. vocat Filium portionem Dei, non quod sit tantum pars substantiae divinae, sed quia 1. est una tantum Persona divinitatis, non omnis quae Deus est. 2. Quia procedit a Patre totius divinitatis fonte, atque illo posterior origine, & eatenus minor, licet illi consubstantialis. Dicit autem separatam, id est, distinctam. Ad 6. arguit Tertullianus ab absurdo contra Hermog. ex ejus principis, nempe, si, ut vult Hermogenes, materia sit improducta & ingenta, Verbum autem, licet aeternum, sit productum & genitum, hoc saltem titulo generationis, & originis materia erit praerferenda Verbo, ut antiquius & fortius.

Ceterum, etsi non difficemus haec, & alia Tertulliani dicta esse duriora, & a nostra Theologia aliena, sunt tamen emollienda, & benigne explicanda, sicut huc usque fecimus, cum aliunde de illius mente circa aeternitatem, & consubstantialitatem Verbi non sit dubitandi ratio, ut patet nedum ex disertissimis ejus testimoniis, quae inter probandum retulimus, & pluribus aliis, sed ex ipsis locis objectis: nam cap. 18. cit. contra Hermog. sic ait: Quis non hanc (Sophiam) potius commendat?... Non sibi subditam, non statu diversam... Quali Deus potuit eguisse, sui magis quam alieni egerit? Ibidem: Filius enim sermo & Deus sermo, & ego, & Pater unum sumus. Cap. 5. kbr. laudati adversus Praxeam: Antè omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia; solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter ipsum. Ceterum, ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso rationem, suam scilicet. Et ibid. cap. 8. sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit: ego in Patre, & apud Deum semper, sicut scriptum est: & sermo erat apud Deum, & nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia ego & Pater unum sumus. Quid expressius?

Alia vero, quae ex eodem Tertulliano objici possunt, ut quod dixerit Patrem esse invisibilem, Filium visibilem, Patrem jussisse Filio, Filium paruisse Patri, Filium procedere a Patre, sicut procedit radius a sole, fluvius a fonte, soluta sunt in anterioribus.

De S. Dionysio Alexandrino.

Obj. S. Dionysius Alexandr. dum Sabellium impugnet, Arianum Dogma propugnabit; is enim Ep. ad Euphras-

norem & Ammonium scribit, *Dei Filium esse opus quoddam & factitium; neque natura proprium, sed peregrinum, secundum a Patre. Et addit: Patrem ad Filium comparari. Quemadmodum Agricola comparatur ad vicem, & navis fabricator ad navem. Siquidem tanquam qui opus est, non erat antequam fieret. Quae verba purum Dogma Arii continent.*

R. S. Dionysium Alexandr. cum eo de Dogmate perverso, quod postea fuit Arii, a quibusdam Pentapolitanis accusaretur propter verba relata, & quaedam alia similia in Ep. cit. edidisse Apologiam, quam ad Dionysium Romanum Pontificem misit, qua hujus erroris suspicionem a se penitus elidit juxta sensum omnino Catholicum explicans verba duruscula, quae ipsi in cit. Ep. praenimio zelo in Sabellium confutandum exciderant; ostendensque exemplis, quae adhibuerat, non aliud intendisse, quam evincere contra Sabellium distinctionem personarum, non vero negare earum consubstantialitatem. Haec omnia constant ex S. Athanasio, qui edidit librum de sententia S. Dionysii Alexandr. circa hanc materiam, in quo ex libris ejus Apologeticis plura refert fragmenta. Haec inter caetera ex Apologia missa ad Dionysium Rom. Pontificem: *ego & in alia Epistola scripsi, ubi ostendo crimen, quod deserunt contra me, falsum esse, quasi dicerem Christum non consubstantialem esse Deo* (nota vocabulum consubstantiale ante Conc. Nicenum.) *Nam, tametsi dico, me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in sacris Litteris, rationes tamen nostras, quas retulerunt, non abducent ab hac sententia: nam & humanum partum pro exemplo adduxi, huiusmodi autem congenerem. Item. Existente igitur aeterno Patre, existit & aeternus Filius, lumen de lumine: Nam, si Pater est, necessarium & Filius est. Unde S. Athanasius inter caetera, quae in S. Dionysii defensionem scribit, ita loquitur libro cit. *Baptizantem ad praesulem Alexandrinum attinere, ex Apologia ejusdem apparet, cum non illius esse sententiae, cujus isti dicunt fuisse; aut quidquam pravarum opinionum Arii accepisse: imo potius scripta illius efficaciter demonstrant calumnias esse, quibus vulgo impetitus sit.**

Addit S. Athanasius exempla, quibus usus est S. Dionysius, ab illo fuisse prolata, & intellecta de Christo ratione humanitatis, quae alienae substantiae est a divinitate, ut vitis ab agricolo, navis a fabricatore; non vero de Filio secundum divinitatem, utpote quem agnoscit consubstantialem Patri, ut patet ex verbis ejus relatis, & iterum ex his sequentibus, quae refert S. Athanasius: *Tametsi meum dictum sit, quod non invenim hanc vocem consubstantialitatis in Litteris sacris, rem tamen ipsam mihi deprehendi, cognovique Filium, qui Verbum est, non alienum a Patris substantia esse.*

Omitto Origenem, quem etiam nobis opponunt Sociniani; quia plures SS. Patres, inter quos Hieronymus, Epiphanius, Aug. & Doctor Angelicus, neque plures Theologi agnoscunt ipsum revera non recte sensisse de Filio, non quod haeresim Arii propriam aperte docuerit, scilicet Filium esse creaturam ex non extantibus in tempore factam, sed quod dixerit, Filium etiam ut Deum non esse ejusdem indiduae naturae cum Patre, & ipso aliquo perfectionis gradu minorem; quod tamen etiam plures negant, rationibus utique non contemnendis mixti: sed, ut ut sit, nemini mirum esse debet, si Origenes, qui iudicio Ecclesiae & SS. Patrum in multis erravit contra fidem, etiam in hoc capite erraverit.

Objectiones contra divinitatem Spiritus Sancti.

Objicies 1. ex Scripturis 1. Rom. 8. dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Postulare autem non est Dei. 2. Joann. 1. dicitur omnia esse facta per Verbum: ergo & Spiritum S. 3. Amos 4. secundum versionem LXX. dicitur *Deus creans Spiritum.* 4. Joann. 6. dicitur, *non loqui a semetipso, sed quaecumque audivit*: ergo. R. ad 1. cum D. Th. 2. 2. q. 83. art. 10. ex Aug. non esse intelligendum in sensu formali, sed causali, ita ut Spiritus, non ipse postulet, sed faciat nos postulare, sicut Genes. 22. Deus dicit: *Nunc cognovi, quod timeas Dominum, id est, cognoscere feci: nec sequitur, quod tota Trinitas, aut Pater & Filius debeant etiam dici hoc sensu postulare; quia, licet gratia orationis sit revera opus totius Trinitatis, appropriatur tamen Spiritui S. cui nempe appropriatur bonitas, & sanctificatio nostra, cujus initium & fundamentum esse assidua oratio. Ad 2. dico, omnia, natura diversa, esse facta per Verbum, alias sequeretur Patrem etiam esse factum per Verbum. Ad 3. dico, Spiritum ibi sumi pro vento, ut habet Vulgata nostra. Ad 4. dico, sensum esse, quod accepit a Patre naturam & scientiam, adeoque quod non loquatur a persona ingenua, sed procedens, ex propria tamen scientia.*

Ad quarundam aliarum instantiarum solutiones ex Scripturis, nota, cum aliquid dicitur in Scriptura de Spiritu, quod non Deo, sed soli creaturae competat, id intelligatur vel de ven-

to, qui etiam spiritus appellatur, ut Exod. 15. *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare.* Vel de donis gratiae & virtutum, quae vocantur Spiritus Dei Joel 2. *Effundam Spiritum meum: vel de Angelis, sive bonis sive malis, ut animabus nostris, quae sunt spirituales creature, & dicuntur spiritus.*

Obj. 2. Ex Paribus 1. S. Basilium censuit, Spiritum S. non esse dicendum Deum, ut constat ex orat. 20. S. Gregorii Nazianzeni in ejus laudem. 2. S. Hilarius similiter in 12. libris de Trinitate non tribuit nomen Dei Spiritui S. 3. Concilium ipsum Constantinop. non definiit, Spiritum S. esse Deum. 4. Ecclesia antiquitus non dirigebat suas preces ad Spiritum S. quod procul dubio fecisset, si credidisset eum esse Deum. Quod addunt Sociniani, Spiritum S. in Scripturis nunquam nominari Deum, apertam esse falsitatem, patet ex probationibus.

Ad 1. R. S. Basilium censuisse, Spiritum S. non esse dicendum Deum, non ex errore circa ejus naturam; constat enim ex ejus Epistolis, & ex laudata oratione S. Gregorii, ipsum constantem negasse esse creaturam, & ejus consubstantialitatem cum Patre & Filio propugnasse; sed ex oeconomia, ut gravioribus Ecclesiae persecutionibus occurreret: tunc hinc Ariani, illic Macedoniani Ecclesias exagitant, & periculum erat, si vires conjungerent, ne omnes Episcopos Catholicos e suis sedibus eicerent, & Haereticos substituerent; quod malum ut averteret S. Basilium, existimavit, quod, retenta vera fide in Spiritum S. a nomine Dei pro tunc esse abstinendum. Hanc quidem Basilii oeconomiam improbarunt quidam, laudaverunt alii; inter caeteros S. Athanasius, & S. Gregorius Nazianz. ad 2. R. S. Hilarium simili oeconomia usum esse in libris de Trinitate; in eis tamen negat, Spiritum esse creaturam, & in Commentariis ad Math. cap. 33. palam constituitur ejus divinitatem: *Baptizantur, inquit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., ut quorum una est divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis est unum Deus.* Ad 3. Concilium Constantinop. definiit, Spiritum S. esse Dominum & vivificantem, a Patre procedere, & simul cum Patre, & Filio esse adorandum & glorificandum, quod plane idem est, ac si dixisset nominatum: *Spiritus sanctus est Deus.* Ad 4. Ecclesia in prioribus saeculis preces ad solum Patrem dirigebat, non quod crederet Filium & Spiritum S. divinitatis expertes; sed quia Pater, cum sit fons totius divinitatis, per appropriationem dicitur personam Dei agere, Filium habetur ut mediator, Spiritum S. ut auctor precum nostrarum.

Objectiones Trithetarum.

Trithetarum VI. saeculo, Duce Philoppono, admittebant contra Arianos tres in Deo personas esse divinas & consubstantiales; sed intelligebant consubstantialitatem ejusdem specie naturae, non ejusdem numero, eo scilicet quod plures homines sunt consubstantiales, id est, ejusdem specie naturae humanae, ita ut, sicut tot sunt homines, quot sunt personae, ita sint tot dii, quot sunt personae. Haec Haeresis expugnata manet ex omnibus, quae tum ex Scriptura, tum ex Patribus protulimus in probanda consubstantialitate personarum; haec enim evincunt, unam numero naturam esse in Deo. Item enim his, quibus in praeced. Tract. impugnavimus pluralitatem Deorum. Superest igitur, ut argumentis Trithetarum satisfaciamus.

Objiciunt 1. Quidam Patres, inter quos Augustinus in Ps. 68. comparant tres personas in Deo tribus auri fragmentis. Plures item SS. Patres, inter quos S. Cyrillus Alexandr. S. Joannes Damascen. & praesertim S. Gregorius Nyss. in duobus operibus, uno adversus Graecos, altero ad Ablavium, comparant naturam divinam quoad unitatem naturae humanae, pluribus communi. Ex hac autem duplici comparatione aperte liquet, tot esse Deos, quot sunt personae divinae, sicut tot sunt homines, quot sunt personae humanae, & tot substantiae auri, quot sunt fragmenta. Ad 1. R. Hanc primam comparationem fieri non quoad omnia, sed quoad hoc tantum, quod, sicut singula auri fragmenta sunt verè aurum, ita quaelibet Trinitatis persona est verè Deus: & hoc sufficiebat Patribus disputantibus contra Arianos, qui contendeabant Filium & Spiritum S. esse mere creaturas. Ad 2. R. Hanc secundam comparationem magis obesse, quam prodesse Trithetis; non enim cum instituunt laudati Patres, ut probent naturam divinam esse divissam in tribus personis, sicut natura humana divisa est in pluribus hominibus, sed e contra, ut suadent etiam ipsam naturam humanam pluribus communem esse unam, & debere dici strictè loquendo unum hominem, non plures homines. In hunc ergo errorem Philosophicum eos impulit nimis Arianos impugnandi zelus: hi namque continèd urgebant paritatem cum natura humana, & dicebant: si sunt tres personae in Deo, & quaelibet sit Deus; ergo sunt tres dii, sicut sunt tres homines, ubi sunt tres personae humanae. Huic importuno argumento dupliciter respondebant SS. Patres: 1. Non esse eandem rationem naturae divinae & humanae: haec quippe propter suam limitationem non nisi uni per-

sonae, una manens, et communicabilis; ita ut multiplicatis personis multiplicetur. Divina vero propter infinitam suam fecunditatem & illimitationem potest indivisa manens tribus personis communicari. Et hac erat communis, vera, & obvia responsio. Sed ut omnem viultigandi ansam Ariani auferrent, quidam respondebant. 2. Etiam naturam humanam pluribus communem & communicatam esse unam, nec nisi ex usu & abusu dici plures homines, cum deberet dici unus homo. Ita S. Gregorius Nyssenus lib. de communibus notionibus adversus Graecos, S. Cyrillus Alexandr. l. 9. comment. in Joann. S. Damascenus l. 3. de fide c. 8. & alii. Hac quidem, fateor, abhorrent a nostra & vera Philosophia, quae nullam a parte rei naturam agnoscit, quae sit una & communis; sed error est contra rationem, non contra fidem; qui nec Trithetis, nec Ariani, seu Sociniani quidquam prodest.

Obj. 2. Tertullianus contra Praxeam c. 13. ait, non permitti Catholicis dicere Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres Deos, ne hac licentia pateret ipsis occasio evadendi Martyrium, cum tunc, non secus ac Gentiles, possent jurare per Deos & Dominos: ergo censet, reipsa esse tres Deos, quamvis id dici non debeat propter inconveniendum id sequitur. R. N. Consequ. Non enim hanc unam rationem hujusmodi prohibitionis adfert Tertullianus, sed alias, & praecipue unitatem divinae naturae. Cum itaque Tertullianus evicisset contra Praxeam, esse plures in Deo personas distinctas, & quamlibet esse Deum, & inde colligeret Praxeas plures Deos a Catholicis predicari; responderet Tertullianus, dato, & non concessio, quod sic loquerentur Catholici, id non facerent absque aliqua specie fundamenti in Scripturis; dicitur enim Ps. 44. & ad Hebr. 1. *Thronus tuus Deus.* Urgebat Praxeas, cur ergo Catholici non predicant aperte & libere plures Deos? Respondit Tertullianus, id ipsis non licere propter triplicem rationem. 1. Quia id nunquam fuit usurpatum ab Apostolis. 2. Quia est una tantum natura divina, & debet esse discrimen inter cultores unius & multiplicis divinitatis. 3. Quia, si hoc ipsis permitteretur, facile evaderent discrimen martyrii. Agnoscat ergo ibidem Tertullianus unam numero naturam divinam; quod plures & constantè docet in eodem libro adversus Praxeam & alibi, ut patet ex probationibus.

Caeterum nemini non notum est, nullum ex antiquis Patribus eo impietatis & absurditatis devenisse, ut plures Deos astrueret: quae observatio sufficit ad refellenda omnia, quae ex ipsis objicere possunt Trithetis.

§. III. Objectiones a ratione contra integrum Mysterium.

Obj. 1. Hoc mysterium contrariatur pluribus principiis, lumine naturali notis: & 1. huic: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* cui innititur tota ars syllogistica: Personae enim identificatur cum essentia divina, & tamen distinguuntur realiter inter se. 2. Non salvatur hoc principium: *Nihil producit sum esse;* Persona enim produdens & producta habent idem esse. 3. Evertit hoc principium: *Persona reddit naturam incommunicabilem alteri supposito.* Quia natura, quae est in Patre, communicatur Filio & Spiritui S. ergo hoc mysterium est contra rationem; adeoque impossibile.

R. N. Ant. ad 1. R. 1. hoc axioma intelligendum esse de his, quae sunt eadem uni tertio re & ratione: quod duplici sensu explicatur. Primus sensus est, quod hoc unum tertium non sit virtualiter multiplex, sed quod extrema ipsi uniantur sub eadem formalitate & ratione, non sub diversa: unde, licet actio sit idem motui similiter & passio, non tamen seportatur respectus ut a quo est motus in mobili: in passione vero, ut qui est ab alio. Similiter, licet Paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, & similiter filiatio, tamen haec duo in his propriis rationibus important oppositos respectus, unde distinguuntur ab invicem. Ita S. Doct. Secundus sensus est, quod extrema ita identificentur uni tertio, ut ab illo non distinguantur ratione ratiocinata; non sic tamen, quod distinctio rationis ratiocinatae inter extrema & medium positivè & semper inferat distinctionem realem extremorum inter se; alias non possent fieri syllogismi nisi in synonymiis, quod est falsum; nec dixit S. Doct. de quo vide Sylvium hic q. 20. art. 3. nisi permissivè tantum & in certa materia, quando nempe accidit, quod extrema distinguuntur virtualiter a medio per rationes seu formalitates, importantes oppositionem inter se. Hoc ipso enim, quod extrema differant a medio ratione ratiocinata, possint ex eo capite, quo differunt a medio, importare aliquam oppositionem inter se, puta relativam, & tunc ratione illius inter se realiter distingui, quamvis cum medio, quocumque oppositionem non habent, realiter identificentur. Et ita contingit in Deo. Paternitas enim & filiatio sic ab essentia virtualiter distinguuntur, ut ex eo capite im-

portent rationes inter se relativè oppositas, non tamen cum essentia; unde fit, quod sint idem realiter cum essentia, & tamen inter se realiter distinguantur. (*Hic q. 28. art. 3. ad 1.*)

Quod ut profundius intelligas, nota diligenter proprium esse rei infinite identificare sibi res, salvis earum rationibus formalibus, quando non important imperfectionem. Sic v. gr. ratio formalis sapientiae, quae est cognoscere res per altissimam causam, item rationes formales justitiae, misericordiae, &c. perfectissime salvantur in Deo, non obstante identitate reali earum cum essentia: similiter ergo ratio formalis relationis debet in eo perfectè salvari, non obstante identitate ejus reali cum essentia: propria autem ratio relationis est opponi suo correlativo, & ab eo realiter distingui; proindeque divinae relationes; non obstante earum identitate reali cum essentia, opponuntur inter se relativè, & ratione hujus oppositionis realiter inter se distinguuntur. Haec si benè perpenderit, facile solves instantias, quae opponi possunt. (*In 1. d. 2. q. 1. art. 5. ad 4.*)

Alièr quidam, etiam Thomistae, hoc principium explicant, dicendo illud dumtaxat verificari, quando extrema ununtur adequatè uni tertio finito, & non communicabili realiter distinctis; secus vero, quando ununtur tantum inadèquate uni tertio illimitato, & communicabili realiter distinctis. Porro relatio personalis ita identificatur cum essentia, ut tamen illam non adaequet; quia nec identificatur cum aliis relationibus, quibuscumque identificatur ipsa essentia; nec ipsa essentia ita identificatur cum una relatione personali, quin etiam identificetur cum aliis, & remaneat ipsis communicabilis propter suam infinitam fecunditatem & illimitationem: & haec relationes, ut dictum est, quantumvis identificatae cum essentia, salvant suam rationem formalem, quae est opponi inter se; ideoque realiter distingui. In idem ferè redit cum priori explanatione, idque illustrari potest aliqua similitudine analogica; (perfecta enim hujus rei paritas non potest haberi in creatis, quae propter suam limitationem pluribus realiter distinctis, identificari non possunt: unde non mirum quod nec Aristoteles; nec alii Philosophi, fide destituti, has explanationes attulerint) Sicut igitur verum est in naturalibus, quod, quae sunt unita uni tertio, sunt unita inter se; ita etiam verum est, quod, quae sunt vicina seu praesentia uni tertio, sint praesentia inter se: sic v. gr. duo corpora non possunt esse praesentia uni spatio, quin sint sibi praesentia. Si tamen detur aliquod tertium, quod idem manens existat in pluribus locis distantibus; aut in pluribus partibus realiter distinctis, nec illa loca, nec illae partes erunt sibi praesentes, quamvis sint praesentes eidem tertio, eo quod non sint ipsi praesentes adequatè. Sic Corpus Christi est praesens pluribus hostiis, quae tamen non sunt sibi praesentes. Pes & caput sunt praesentes eidem animae, quae tamen partes non sunt sibi praesentes & vicinae.

Ex his colliges, rationem, ob quam hi & similes syllogismi expositorii non valent: *Hic Deus est Pater, hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater: haec essentia divina est Paternitas, haec essentia divina est Filiatio; ergo Filiatio est Paternitas;* non esse ex eo, quod forma syllogismi expositorii fallat in hoc mysterio: sed quod in his & similibus non salvatur: sicut enim in syllogismo de termino communi requiritur, quod perfectè distribuatur medium; ita de ratione syllogismi expositorii est, quod perfectè singularizetur medium, quod hic non fit; hi enim termini, *Hic Deus, haec essentia*, licet sint singulares, sunt tamen aequivalenter universales, seu habent vim termini communis, quia ille Deus, haec singularis essentia est communicabilis pluribus suppositis, quod est proprium termini communis: unde non debemus uti illis terminis ut mediis ad syllogismos expositorios, quia non perfectè singularizantur; sed utendum illis ut terminis communibus, at tunc debent perfectè distribuì, non quidem dicendo, *omnis Deus, sed, omne quod est Deus, est Pater, &c. Omne, quod est essentia divina, est Paternitas, &c.* sed tunc istae propositiones sunt falsae; quia aliquid est Deus, scilicet Filius, quod non est Pater; & aliquid est essentia divina, nempe Filiatio, quod non est Paternitas.

Ad 2. R. Patrem non producere suum esse, sed illud tantum communicare quod potest, quia tanta eminentia est & fecunditatis illud esse, ut idem manens possit a pluribus possideri: & cum sit idem omnino in Patre & Filio, non est a Patre ut a causa cum dependentia, sed ut a principio originis.

Ad 3. principium, petium ex definitione personae. R. id a multis sic intelligi, quod personalitas reddat, non naturam secundum se incommunicabilem, sed ipsum compositum & personam, seu naturam reduplicatè ut personatam: quod etiam verificatur in hoc Mysterio; nam persona Patris, seu natura divina cum modo paternitatis & ut personata non communicatur alteri; est enim tantum unus Pater in divinis. Caeterum dato, quod in creatis aliter intelligatur, ita ut in iis per-

personalitas reddat ipsam naturam secundum se alteri supposito incommunicabilem, quia natura creata, cum sit finita, unica personalitate impletur. Primo tamen sensu debet verificari in divinis, tum quia propter suam infinitatem & infinitam fecunditatem ab una personalitate non adequatur, nec impletur sicut natura creata; tum etiam quia personalitas in divinis non est quid absolutum, ut in creatis, sed quid relativum; de ratione autem relativi est, quod habeat correlativum.

Obj. 2. Ex infinitate naturae divinae colligimus cum S. Thoma, eam esse unam & immultiplicabilem; atqui persona in divinis, ut virtualiter distincta ab essentia, est etiam infinita: ergo una.

R. 1. D. Min. persona in divinis, ut virtualiter distincta ab essentia, est infinita ratione essentiae, quam includit, C. ratione sui conceptus relativi praecise, N. Cum enim, ut dicemus, sub isto respectu non addat perfectionem, non addit etiam infinitatem, sed ab infinitate & finitate abstrahit.

R. 2. Data Minori, N. Cons. Disparitas est, quod, cum persona in divinis constituitur per relationem, ut videbimus infra, haec necessario exigit terminum, quem respiciat, non importat infinitatem simpliciter; sed in certo genere, v. gr. Paternitas in ratione Paternitatis, & ideo non excludit quamcumque aliam personam, sed tantum alium Patrem. At vero, si darentur plures essentiae infinitae, cum illae non opponerentur inter se relative, nec consequenter distinguerentur ratione illius oppositionis, deberent distingui per aliquam rationem formalem & essentialiam, quam una haberet & non alia, quae ideo non foret infinita.

Obj. 3. Non potest assignari ratio, cur potius sint tres personae, quam duae, aut quatuor, aut plures: ergo. R. N. Ant. Et assigno rationem; quia in Deo debent esse una persona improducta, & duae productae, & non plures: ergo. Prob. Ant. Distinctio personalis in divinis, ut infra dicemus, est solum secundum relationem originis; ex quo sequitur 1. quod possit esse tantum una persona improducta, cum inter personas improductas non detur relatio originis. Sequitur 2. Quod, cum sint duae tantum processionis in divinis, una per intellectum, altera per voluntatem (processio enim in divinis non attenditur penes actionem transcurrentem, sed immanentem, quae est duplex, intelligere & velle) sint etiam consequenter duae tantum personae procedentes, seu terminantes duplicem processionem. De his infra.

Inst. Possunt esse plures processionis per intellectum, & plures per voluntatem, sicut in nobis: ergo. R. N. Ant. 1. Quia, si essent plures processionis in divino intellectu, vel in divina voluntate, sequeretur, quod essent infinitae; positis enim semel pluribus, nequit terminus vel numerus illarum aliam ratione constitui; inconveniens est autem admitti infinitas actu processionis & personas in Deo.

2. Ille plures processionis in intellectu divino, idem dic de voluntate, vel distinguerentur specie, vel numero: Non specie; quia distinctio numerica petitur ex materia & limitatione, quod Deo repugnat. Unde patet disparitas inter processionis nostras, & divinas quoad presentem instantiam.

Repones: Potest saltem dari in Deo processio per potentiam, non minus quam per intellectum & voluntatem: ergo. R. N. Ant. Quia potentia est principium agendi in aliud: unde secundum potentiam accipitur actio ad extra, & sic secundum attributum potentiae non accipitur processio personae divinae, sed solum creaturarum. (Hic q. 27. art. 3. ad 1.)

Plura alia argumenta Gentilium refert S. Th. 4. contr. gent. c. 10. & solvit c. 14. Similiter Bellarminus l. 1. & 2. de Christo, Joannes a S. Th. hic disp. 12. art. 3. & 4. plura alia Socinianorum sophismata referunt & refellunt. Vide, si lubet. Sed pleraque vel solvantur ex dictis, vel solventur in decursu hujus tractatus. Unde nunc ab his supersedemus.

ARTICULUS IV.

Utrum sanctissimae Trinitatis mysterium possit lumine naturali cognosci.

Deo: Nulla ratione naturali potest cognosci, aut demonstrari SS. Trinitatis mysterium. Est contra Abailardum & quosdam alios, qui contendebant Fidei nostrae Mysteria posse ratione demonstrari, quos redarguit S. Bernardus in c. 9. Ecclesi. Et libr. 5. de consid. c. 8. (Hic q. 32. a 1. o.)

Prob. 1. auctoritate. Math. 11. dicitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ibidem c. 16. Christus Petro, proficenti ejus filiationem divinam, dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Et Hormisdas Papa in Ep. 79. ad Justinum Imp.

Secretam Trinitatis neque ulla visibilium vel invisibilium naturarum potuit investigare natura.

Prob. 2. ratione. Nihil de Deo possumus cognoscere per rationem naturalem, nisi ex effectibus creatis; de Deo enim a priori & per causam nihil novimus, cum nulla sit causa Dei, aut Trinitatis; atqui ex effectibus creatis saltem naturalibus ad tanti Mysterii cognitionem devenire non possumus: ergo. Prob. Minor: effectibus, quantumvis perfecte cognitis, non ducit in cognitionem causae, nisi sub ea ratione, qua ab illa procedit, & connexionem per se habet cum illa: sic v. gr. effectus procedens ab artifice, puta, domus ab aedificatore, manifestat quidem artem, a qua per se procedit, & hominem qua artificem, non autem alia hujus hominis accidentia ad artem non pertinentia, v. gr. quod fuerit magnus vel parvus, albus vel niger, pinguis vel macer, indutus rubro vel viridi, &c. atqui effectus creati non procedunt, nec pendunt per se a Deo ut trino, sed solum quantum uno: ergo. Probatur Min. Effectus creati procedunt a Deo ratione divinitatis ut causae radicalis, & ratione omnipotentiae ut causae proximae; atqui omnipotentia convenit Deo pro priori ad relationes, quibus constituitur personae, pertinetque ad naturam ut una est, non ut est trina in personis, non enim unaqueque persona habet propriam & distinctam omnipotentiam: unde vulgo dicitur opera Trinitatis ad extra indivisa esse: ergo effectus creati non procedunt per se a Deo ut trino, sed concomitantè tantum, quantum virtus procedens est una & eadem in tribus. Unde, si per impossibile Deus non esset trinus, manerent tamen creaturae, quia maneret virtus earum productiva (Hic q. 32. art. 1. o.)

Ex quo colliges 1. etiam supposita fide, hoc mysterium non posse sola ratione naturali evidenter demonstrari; quia divina revelatio non facit, quod creaturae per se pendant & procedant a Deo ut trino, nec ponit in creaturis aliquid Trinitatis vestigium.

Si dicas: ratio naturalis dicit evidenter, Deum esse veracem in revelando: ergo, supposita revelatione hujus mysterii, ratio dicit evidenter illud existere.

R. D. Conseq. Ratio dicit evidenter, illud existere per medium naturale intrinsecè connexum cum illo mysterio, N. Per medium extrinsecum, scilicet auctoritatem revelantis, C. Nec nos negamus, intellectum creatum, fide adjutum, & ea utentem, posse vi sua naturali cognoscere mysterium Trinitatis existere; sed negamus illum, etiam fide supposita, sed ea non utentem, posse per medium aliquod naturale intrinsecè connexum cum isto mysterio illud probare; quia nempe fides non subministrat illi tale medium, quod quod, ut diximus, non faciat creaturas per se dependere a Trinitate. Unde quantumvis intellectus creatus perficiatur revelatione divina, nunquam tamen potest in effectibus creatis evidenter cognoscere Trinitatem, quia in eis non continetur cognoscibilitas.

Colliges 1. Propter eandem rationem, nec etiam possibilitatem hujus mysterii posse sola ratione naturali evinci. Colliges 3. quod, si homo viator quiddam cognoscere visionem beatificam, lumen gloriae, unionem hypostaticam (quod non videtur repugnare, cum omnis res creata sit cognoscibilis per propriam speciem) cognoscere etiam evidenter mysterium Trinitatis quoad an est, propter connexionem, quam illi effectus supernaturales habent cum Trinitate, non quidem in causa, sed ut objecto, vel extremo unito. Unde dixi in probatione conclusionis: *ex effectibus creatis, saltem naturalibus.*

Dices contra Conclusionem: Plures Philosophi Gentiles cognoverunt mysterium SS. Trinitatis: unde refert August. se legisse in libris Platoniorum exordium Evangelii Joannis: *In principio erat Verbum, &c.* non quidem iisdem verbis, sed similibus. Et illud celebre dictum Trismegisti: *Monas genuit Monadem, et in se suam reflexit ardorem.* Quibus verbis videntur aperte exprimi origines divinae: ergo.

R. 1. quod Philosophi non cognoverunt mysterium SS. Trinitatis per propria, quae sunt Paternitas, Filiatio, & processio; juxta illud 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam... quam nemo Principum hujus saeculi cognovit,* id est, Philosophorum nullus; sed cognoverunt tantum quaedam essentialia attributa, quae appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. Unde per Verbum in libris Platoniorum non intelligitur persona genita a Patre ipsi consubstantialis, sed ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriantur. Dicitur autem Trismegisti non referat ad generationem Filii, & processionem Spiritus S. sed ad productionem mundi; quem unum unum Deus produxit propter sui ipsius amorem. Addunt hodierni Haeretici, opus, quod sub nomine Trismegisti circumfertur, non esse ipsius, sed alicujus Christiani priorum saeculorum, quia in eo opere leguntur multa ex sacris Scripturis expressa, quae videre non potuit Trismegistus, Moyses antiquior.

R.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

R. 2. Quod si quidam Philosophi Gentiles, aliquam mysterii Trinitatis notitiam habuerint, illam hauserint non ex effectibus creatis ratione naturali, sed vel ex magisterio & traditione Hebraeorum, vel ex lectione Scripturarum, aut librorum Sibyllarum, vel ex divina revelatione ut in ipsis Sibyllis, vel etiam ex demonum revelatione, ut in ipsis Sibyllis, vel noverunt divinitus hoc mysterium, & usque notitiam hominibus ingesserunt, sive jussu Dei, sive ex malitia, ut ponendo tres personas persuaderent hominibus esse tres Deos. Unde Plato, qui dicitur Trinitatem admisisse, tres etiam Deos admisit (In 1. d. 3. q. 1. art. 4.)

Repones: Deus ut unus non est minus supernaturalis, quam trinus; atqui potest naturaliter cognosci ut unus: ergo. R. D. Maj. Non est minus supernaturalis in ratione entis, C. In ratione objecti cognoscibilis, N. Quia effectus creati procedunt ab ipso ut uno, non ut trino, ut dictum est. Alia argumenta contra hanc conclusionem proponemus post sequentem conclusionem.

Dico 2. Supposita fide, potest hoc mysterium variis congruentiis suaderi, & ab oppositis argumentis defendi. Unde communiter dicitur, quod sit supra, sed non contra rationem.

Prob. 1. pars, proponendo varias congruentias. 1. a ratione. 2. ab exemplis. 3. a numero ternario. A ratione, prima congruentia petitur a natura summi boni, quod est maxime sui diffusivum, quae maxima diffusio elucet praesertim in mysterio SS. Trinitatis. Secunda fundatur in ratione amicitiae & societatis, quae congruenter exigit ad summam felicitatem: amicitia autem & societas exigit numerum personarum aequalium: non enim datur amicitia, aut societas inter res diversae speciei, v. gr. inter hominem & brutum, seu lapidem. Tertia congruentia in eo fundatur, quod gignere sibi simile est perfectio. Quarta, quia in nobis experimur dari processionem verbi, & amoris, quae cum possit purificari a suis imperfectionibus, videtur debere admitti in Deo. Quinta congruentia sic proponitur: ens omnino infinitum, ut est Deus, debet importare omnem entitatem possibilem & excogitabilem, adeoque absolutam, & relativam: relativum autem exigit correlativum a se distinctum, ad quod referatur, nihil enim referat ad se ipsum. Unde ista relativa, quia habent oppositionem relativam ad se invicem, inter se realiter distinguuntur; sed quia nullam habent oppositionem cum absoluto, realiter cum ipso identificantur. Porro oppositio relativa in divinis fundatur in origine, quae est duplex, una per intellectum, alia per voluntatem. Unde tria sunt relativa, unum improductum & productum, duo producta. Habemus ergo tria relativa realiter inter se distincta, & in uno absoluto identificata; & quia haec tria relativa in divinis non possunt esse accidentia, quia accidentis imperfectionem involvit, sequitur, quod sint substantiae; & quidem personae, quia propter relationem & correlationem sunt incommunicabiles.

Ab exemplis. Primum, in anima rationali reperitur esse, *nosse, velle.* Item in eadem anima est memoria, intellectus, & voluntas, & tamen una est. Ita Aug. l. 14. de Trinit. c. 8. Secundum, in sole tria sunt, cursus, splendor, & calor, & tamen unus est: Ita Aug. serm. 1. de verbis Apost. c. 3. In arboribus, truncus, rami, & folia, & una tamen est arbor. Haec tamen exempla, ut alicubi notat S. Thom. plures habent dissimilitudinis, quam similitudinis.

A numero ternario. In mundo. Tribus generibus entium constat mundus universus, esse, vivere, & intelligere: triplex est principium entium naturalium, materia, forma, & privatio: tres partes temporis, praeteritum, praesens, & futurum: tres durationis mensurae; tempus, aevum, & aeternitas: tres quantitates species, linea, superficies, corpus: tres corporis dimensiones, longitudo, latitudo, profunditas. In homine triplex facultas, memoria, intellectus, voluntas: triplex operatio, vegetativa, sensitiva, intellectualis: triplex mentis operatio, simplex apprehensio, judicium, discursus. In Angelis tres Hierarchiae; in qualibet Hierarchia tres choro; in qualibet choro triplex operatio, purgatio, illuminatio, perfectio. Tandem in omnibus creaturis haec tria reperuntur; unitas, species, & ordo. Ita, unum, verum, bonum. Item esse, posse, & operari. Hinc ita celebratur numerus ternarius, ut eo significemus id, quod opinamur omnibus numeris absolutum, ut cum dicimus, v. gr. *Ter Beatus, & illud Poetae: numero Deus impari gaudet.* Quia nempe numerus ternarius omnium perfectiones continet, scilicet principium, quod est unitas; speciem, quae est dualitas; & complementum, quod est tertia unitas.

Prob. 2. Pars. Quaecumque argumenta contra fidei documenta ponantur, ex principis naturae per se notis non procedunt, adeoque vim demonstrationis non habent, sed sunt vel rationes probabiles, vel sophisticae: ergo ad ea solvenda locus relinquatur. Probatur Ant. Verum non est contrarium vero, sed solum falsum; atqui principia naturae per se nota sunt vera, Theol. Billuart. Pars Prima.

item, & documenta fidei sunt verissima: ergo quaecumque argumenta, &c.

Eandem veritatem probant omnia motiva credibilitatis mysteriorum nostrae Religionis, de quibus in tract. de fide. Probatur insuper objectionum solutio, de qua §. procedenti. Ex quibus, omnibus sequitur, quod addimus in conclusione, mysterium hoc, licet sit supra, non tamen esse contra rationem.

Dices 1. Haec secunda conclusio videtur contradicere primae: ergo. Prob. Ant. His omnibus rationibus, & exemplis videtur demonstrari mysterium SS. Trinitatis: ergo.

R. N. Ant. Ad probationem, N. Ant. His enim rationibus, & exemplis, licet utcumque & probabiliter suaderetur mysterium SS. Trinitatis, non tamen persuaderetur efficaciter. Et quidem in numero ternario adumbratur, sed non demonstratur. In exemplis jam diximus plus esse dissimilitudinis, quam similitudinis. Quoad rationes, N. pariter, eas demonstrative probare, & convincere. Respondet enim Philosophus Gentilis ad 1. naturam summi boni salvari per hoc, quod possit in infinitum perfectionem suam communicare creaturis ad extra, & quod de facto se communicet infinite ex parte modi communicandi educendo eas ex nihilo: communicationem autem ejusdem naturae indivisae ad diversas personas repugnare; & ejus contrarium ratione naturali ipsi non poterit probari evidenter, licet a parte rei ita sit, & revera id competat summo bono.

Ad 2. respondebit, amicitiam, & societatem requiri ad beatitudinem hominis, qui in suo fundo miseriam potius, quam plenam bonitatem reperit: id vero requirit ad beatitudinem Dei, qui ex se centrum est omnis boni, omnemque ejus plenitudinem possidet, difficile demonstrabitur, potestque rationabiliter negari.

Ad 3. negabit, generare sibi similiter posse probari juxta lumen naturale esse perfectionem simpliciter simplicem, siquidem fiat in creatis cum divisione naturae, quod importat imperfectionem, & repugnat mysterio nostro.

Ad 4. pariter negabit juxta rationem naturalem, ex eo quod in nobis detur processio verbi, & amoris, dari similiter in Deo; quia haec processio in nobis est accidentalis, quod repugnat Deo: posse autem esse substantialem, ratio merè naturalis non demonstrat evidenter.

Ad 5. dicit, vel non dari ens formaliter relativum, ut multi Catholici opinantur in creatis. Vel quod, si detur formaliter in Deo, non possit identificari cum absoluto, quia absoluta, & relativa sunt omnino disparata, & ita disparata ut non possint realiter identificari, sed necesse sit ea realiter distingui; unde sequeretur in Deo non posse dari nisi eminentè, quod sanè destrueret veritatem nostri mysterii, nec hujus oppositum ratione naturali posset demonstrative ostendi. Adde, nulla ratione naturali posse evinci hoc relativum esse quid substantiale, & personam. Unde notat S. Thom. q. 32. art. 1. o. quod, qui niteretur persuadere infidelibus hoc mysterium rationibus naturalibus, derogaret fidei nostrae, quae non est nisi de his, quae rationem nostram transcendunt, & daret Philosophis occasionem errandi, aut fidem nostram irridendi, qui putarent eam istis rationibus iniri. *Quae igitur fidei sunt, concludit S. Doctor, non sunt tentanda probare nisi per auctoritates his, qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile, quod praedicat fides.*

Dices 2. Ex hac 2. Conclusionem sequitur, posse ratione naturali probari hoc mysterium esse saltem possibile: ergo. Prob. Ant. potest probari non involvere contradictionem, ut dicimus in hac secunda Conclusionem, & patet ex sol. object. art. procedente; atqui, quod probatur non involvere contradictionem, probatur esse posse possibile: ergo.

R. N. Ant. Ad prob. D. Maj. Potest probari non involvere contradictionem positivè & evidenter, N. negativè & probabiliter, C. Ad hunc sensum, D. Min. N. Conseq. Quando igitur solvimus argumenta a ratione & contradictiones, quae opponuntur contra possibilitatem hujus mysterii, procedimus tantum ex probabilibus & apparentibus; sed nulla ratione sive a priori, sive a posteriori demonstrative probamus earum falsitatem. Et hoc quidem sufficit, ut hoc mysterium non iudicetur impossibile: non tamen ut cognoscatur evidenter possibile; falsum enim, ut ait Philosophus, sunt quandoque probabiliora veris. Equis, soletis omnibus Ethnicorum argumentis, & oppositis contradictionibus, sibi persuadeat omnes suas solutiones esse invincibiliter demonstrativas, & nullam implicentiam, praeter solutas, restare solvendam? Nullus sanè, quia nullus sive Angelus, sive homo hoc Sacramentum, totam naturam transcendens, funditus penetrare potest.

Inst. Ex dictis non potest demonstrari, hoc mysterium esse impossibile: ergo potest probari esse possibile, nam inter possibile & impossibile non datur medium. R. N. Conseq. Quamvis enim inter possibile, & impossibile non datur medium, datur tamen inter demonstrationem possibilitatis, & demonstrationem impossi-